

EPISTOLA

nores denuò libemus. Neque enim vilior est corona,
quam ex Scripturæ floribus teximus , augusto illo
monili, quo Pontifícia Maiestas à primo Regum no-

Proverb. 8.
ver. 11.
strorum ornata est : *Melior est enim sapientia cunctis pre-
tiosissimis : & omne desiderabile ei non potest comparari. Non
conferetur tinctis Indiae coloribus , nec lapidi Sardonycho pretio-
sissimo , vel sapphiro. Non adæquabitur ei topazius de Æthio-*

Iob.ca. 28.
*pia. Quid ita? Quoniam per me , inquit , Reges regnant ,
et legum conditores iusta decernunt. Huiusmodi ergo
monile cùm S^t. Vestræ offeramus , quo nullum vnu-
quam pretiosius Regum frontem cinxit: vereri vt
que non debemus , ne indigni maiorum nostrorum
magnificentia habeamur. Sed nec succensere quis-
quam iure poterit , si Beatitudinem Vestrām pro vi-
rili parte ornamentis gloriæ cumulemus. Nam pa-
ternæ dignitatis incrementis , filiorum gloriæ nil de-
perit. Qui verò potiore iure quām Francorum Re-
ges , Sanctitatis vestræ filij habendi sunt? Pontificiæ
Celsitudinis exornatio , Regiæ maiestatis commen-
datio est: Quod cùm Maiores nostri probè intelli-
gerent , Summum Ecclesiæ Præsulem summo sem-
per honore prosequuti sunt , & tanquam Christi Vi-
carium , Petriique successorem plenissimo pietatis
cultu coluerunt: quorum nos virtuēm sequi decet ,
qui de eorundem genere gloriamur.*

Accedit ad hæc , quòd cùm Regum decus & im-
perium dicere instituerim , non habeam vnde potius
exordiar , quām ab ea origine , ex qua manarunt. Nam
apud Hebræos , autore Deo , primi Reges à Prophetis
& Sacerdotibus vñcti atque initiati sunt: & veteri iure ,

S. Ambros.
lib. 2.
Epist. 13. ad
Marcellinum
nam Sor.
inquit S. Ambrosius , à Sacerdotibus donata sunt Imperia ,
non usurpata. An quisquam negat? Quis enim Ius Regis
populum docuit: quis Legem Regni scripsit? quis Reges
vnxit? autoritate diuina firmauit? Primū quidem